et huius corporis caput Christus, de quo suo capite exultat corpus, id est
sancta ecclesia, cum per psalmistam dicit: Et nunc exaltavit caput meum super dd.
inimicos meos. Quia enim quandoque ipsa etiam exaltanda est, iam nunc
caput suum super inimicos suos exaltatum gaudet in celis. Cum ergo electi Sol.
quique ad vitam perveniunt, quia membra eius per eum intrant ad eum,
ipse per se intrat ad se. Ipse enim in suis membris est qui intrat, ipse caput
ad quod intrantia membra perveniunt. Quod Hiezechiel propheta multipliciter
insinuat, qui virum venisse dicit ad portam, et que eadem porta sit
ostendit dicens: Que respiciebat ad viam orientalem. Ipse etenim nobis
est via qui dixit: Ego sum via, veritas et vita. Ipse etiam orientalis via, Ioh.
de quo scriptum est: Ecce vir, oriens nomen eius. Porta ergo ad viam orientalem Zach.
respicit, quia illum signat qui nobis iter ad ortum luminis fecit. Potest Aliter porta.
etiam porte nomine unusquisque predicator intelligi, quia quisquis
nobis ianuam regni celestis ore suo aperit, porta est. Unde et XII porte
in Iohannis apocalypsi, ut in extrema huius prophetie visione describun-
tur. Potest etiam porte nomine scripture sacre scientia non inconvenienter Iterum aliter.
intelligi, que dum nobis intellectum aperit, celestis regni ianuam
pandit. Possumus porte nomine et fidem accipere, quam primam con- Iterum aliter.
tingimus, ut ad virtutum edificia intremus. Unde hic apte sub-
iungitur: Et ascendit per gradus eius. Quid enim gradus sunt huius Gradus fidei.
porte, nisi merita virtutum? Sive enim in cognitione mediato-
ris Dei et hominum hominis Christi Iesu, seu in conscientia divini eloquii,
seu in ipsa fide quam de illo accipimus, quibusdam gradibus ad altiora
incrementa pervenimus. Nemo enim repente fit summus, sed in bona
conversatione a minimis quisque inchoat, ut ad magna perveniat.
De his gradibus per psalmistam dicitur: Deus in gradibus eius dinoscetur, cum suscipiet dd.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0249